Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/prolegomenainano00egen

Münster

PROLEGOMENA

IN ANONYMI GRAMMATICAE EPITOMAM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI
PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE ARGENTORATENSI

SCRIPSIT

PETRUS EGENOLFF

NASSOVUS.

BEROLINI.
TYPIS W. PORMETTERI.
MDCCCLXXVI.

CAPUT PRIMUM.

§ 1.

Anonymi epitomae grammaticae, quam editurus sum, pars prior jam anno h. s. XXII a Fr. N. Titzio, professore Pragensi e codice saeculi quarti decimi aut quinti decimi publici juris facta est in „Manuelis Moschopuli Cretensis opusculis grammaticis“ pag. 17—43. Repertus est liber ille manuscriptus Reginaehradecii Bohemorum, casu nescio quo eo delatus, a Wenceslao Hanka, bibliothecae musei antiquitatum Bohemicarum Pragensis tunc temporis praefecto, qui Titzio describendi eum et in lucem emittendi copiam fecit. Postea in bibliotheca universitatis litterarum Pragensis asservatus videtur fuisse; cf. Titzii praef. p. XXVI; nec tamen hodie vola eius aut vestigium superesse Kellero videtur. Accurate descripsit eum Titzius praefat. pag. VI sqq., cuius verba hic repetam:

§ 2.

„Est codex ille bombycinus seu chartaceus, formae quaternae minoris, saeculi Chr., quantum ex scripturae proprietate conicere licet, XIV^{ti} aut XV^{ti} et haud dubie apographum. Prima quaeque quaternionum quinionumque folia in margine inferiori ad dexteram litteris α. β. etc. a scriba conspiciuntur signata. Quae signatura cum ter ab α incipiat, prodit apographum istud ex singulis partibus una eademque manu descriptis paullatim coaluisse in unum corpus, quod possessor antiquus dipesci sibi a bibliopega iussit in duo volumina ita, ut volumen prius ex pluribus partibus constaret ab α incipientibus. Ut enim id nunc habemus, duae sunt tales partes, quarum anterior comprehendit α. β. et ternionem γ, posterior quaterniones α. β. γ. δ. Foliorum huius voluminis summa nunc 52, sed erant olim folia 54, quorum tamen unum et quidem posterioris partis initiale, quod auctoris nomen in medio, cetera

album, ostendisse (?) conicio, forfice penitus fere abscissum, alterum, quaternionis γ postremum, usque ad exigua duo fragmenta chartae ab interiori margine exstantia, delaceratum. Videtur autem et ab initio prioris partis, si non maior aliqua labes accidit, deesse saltem unum folium, quia nec ibi visitur titulus prodens auctoris nomen. Illud certum, has partes uno separato volumine priore fuisse conclusas, idque apparet partim ex ipsa compaginis a tergo hic ibi resolutae structura, partim ex postrema pagina fusciore ac squalidiore reddita, ex quo volumen hoc tegimentis suis, ut videtur, ligneis privatum est, cuius vestigia postrema illa pagina, pressione paene levigata, adhuc manifesto ostentat.

Alterum volumen, quod aeque suis tegumentis caret, constat quinionibus septem et una dyade, procedentibus ab α usque ad η, ostenditque folia 74, quorum ultimum vacuum. Deest a fronte titulus, quem tamen in singulari folio olim perscriptum fuisse opinor cum nomine auctoris illorum opusculorum, quae ab initio huius voluminis leguntur, sicut deinceps plenissimus titulus visitur Michaelis Syngeli, cuius syntaxis posteriorem huius voluminis partem usque ad finem insumit. Ceterum duo ista volumina unum quodammodo corpus constituentia, neque forma neque scriptura, quae quidem a prima manu est (nam paucula quaedam in postremis singularum partium foliis et in marginibus serior manus adscripsit), nihil fere inter se differunt, nisi quod in priore volumine quaevis pagina 24 versus seu lineas, in posteriore vero paullo ampliore 25 ostendit; tum quod ibi charta per quaterniones, hic autem per quiniones dividitur. Litterae graecae in utroque minusculae, praeter capitum, sectionum et saepe lemmatum initiales, quas non forma solum maiuscula, sed et minii seu rubricae color sicut inscriptiones, quae tamen minutis litteris scriptae, distinguit. Compendia scripturae non quidem nimia, sed in his vetustiora non pauca, qualia in graecis Mss. inde ab saeculo post Chr. n. decimo occurrere solent. Iota subscriptum non semper, saepius tamen adhibitum: at eadem vocalis in vocibus, sicut et v, punctis duobus supra iuxta se positis, perpetuo signatur. Duo $\varrho\varrho$ spiritibus carent. Verba pro consuetudine scribarum adeo arcte iuxta se collocata, ut saepissime discerni non possint nisi ope spirituum et accentuum, in quibus ipsis tamen, sicut et in singulis quandoque litteris vocalibus scribendis, corrupta iam saeculo post Chr. n. XIV quarundam pronuntiatione, aurium magis

quam oculorum ductui obtemperatum patet.“ Hactenus Titzius. Continebatur autem epitomae pars prior teste eodem Titzio p. XII codicis volumine anteriori, praecedentibus commentatiunculis quibusdam e Moschopuli libro *περὶ σχεδῶν* excerptis. Excipiebatur idem liber prior epitomae tractatibus nonnullis veluti *περὶ μέτρων, ἑπτὰ τῶν ἀνθρώπων ἡλικίαι, περὶ ποδῶν, περὶ τῶν τοῦ λόγου σχημάτων* aliis, quos omnes Titzius edidit p. 43—86.

§ 3.

Librum alterum, qui cum a codice Reginaehradeciensi abesset, nunc primum e tenebris eruitur, una cum priore libro haberi in bibliothecae D. Marci codice DXXXI, iam Titzius et ex inscriptione libro primo praemissa et e viri docti cuiusdam nota in Heerenii „bibl. d. alten lit. und kunst“ I pag. 32 ined. recte conclusit diatrib. litt. de Moschopul. p. 13. cf. A. Hart. libell. schol. Berol. 1871 p. 11. Cuius rei memor Studemundus, praeceptor meus, cum Venetiis moraretur, libri primi exemplar Titzianum cum codice Veneto Marciano contulit, alterum Adolfus Hartius et Rudolfus Schoellius Studemundo dictante exceperunt. „Codex autem Venetus Marcianus DXXXI, olim Bessarionis, chartaceus, forma quadrata saec. XV—XVI miscell., inde a folio 80^{v} usque ad folium 88^{v} ab eadem manu et scriptus et passim correctus haud difficilis est ad legendum, sed scripturae compendiis abundat. I subscripta ubique omissa sunt, periodorum initio litterae rubrae minusculae positae; eisdem litteris capitum singularumque particularum tituli ornati sunt.“ Liber prior continetur foliis 80^{u} — 88^{u}, alter usque ad fol. 105^{r} pergit. Testibus eodem homine docto in Heerenii bibl. l. s. et Gaisfordio in not. ad Procl. chrest. post Hephaestion. J. p. 457. ille codex haec complectitur:

1) *ἐξηγήσεις τινὰς μετ' ἀλληγοριῶν καὶ ἱστοριῶν τινων εἰς τὸν Ὅμηρον.*
2) *ἐπιτομὴν νέαν γραμματικῆς* (sic legendum!) *ἐν βιβλίοις β'* (fol. 80_{v}—105).
3) *ἐπιτομὴν τῶν ἐννέα μέτρων.*
4) *Φουρνούτου* (sic!) *ἐπιτομὴν περὶ*(?) *τῶν παραδεδομένων περὶ θεῶν κ. τ. λ.*
5) *Αἰνίγματα καὶ ζητήματα.*
6) *ἐξήγησιν εἰς τὸν Διονύσιον τὸν περιηγητήν.*
7) *Πλουτάρχου περὶ τῆς Ὁμήρου ποιήσεως.*

8) *Ἡφαιστίωνος περὶ μέτρων.*

9) *ἐκ τῆς Πρόκλου χρηστομαθίας γραμματικῆς ἐκλογάς* (cf. Ritschelii prolegg. in Theodul. p. XI sq.).

Epitomae alter codex ex altero non videtur esse descriptus.

§ 4.

Libri igitur alterius ad codicis Veneti fidem restituti qui editionem parabat A. Hartius, quin perficeret, quum praematura morte prohibitus esset, Studemundus, qua est in discipulos suos comitate, non solum, ut eam ad quaestiones meas grammaticas adhiberem, roganti mihi permisit, verum etiam ut ederem concessit. Esse autem hanc Epitomam quae integra in manus hominum doctorum perveniat, haudquaquam indignam, omnes harum rerum aequi et intellegentes iudices (cf. Goettlingii praefat. in Theod. Prodr. p. IV. Ritschelii prolegg. in Theodul. p. IX. M. Schmidtii praefat. in Didymi chalc. fragm. p. V sqq. Hoerschelmann de Dionys. Thrac. interprett. vett. p. 2sq.) mecum censebunt, cum qua ratione auctoris eius aetate studia grammatica culta sint, optime inde appareat. Eadem multa continet, quae etsi iam antea pleraque erant cognita tamen eo quo hic leguntur ordine nusquam alibi invenias composita. Praefationis autem loco de inscriptione, de consilio atque ratione, de auctore, denique de fontibus Epitomae disseram.

CAPUT SECUNDUM.

De inscriptione Epitomae.

§ 5.

Et in codice P (sic enim cum nominabo) et in V Epitoma haec inscribitur sic: *Ἐπιτομὴ νέα γραμματικῆς.* Hoc titulo Hartius libell. schol. Berol. 1871 pag. 12sq. artis Dionysianae epitomam ideo voluit significari, quod, quemadmodum ars Dionysii apte in duas partes potest discerni, alteram (§§ 1—13) etymologicam, syntacticam alteram (§§ 14—25), id quod etiam Nephonis monachi nota in BAG. III p. 1129 edocemur (cf. etiam Porphyr. in schol. Dionys. p. 676), qui commentarium suum in grammaticam Dionysii sic inscripsit: *Νήφωνος μοναχοῦ περὶ στοιχείων καὶ τῶν ὀκτὼ μερῶν τοῦ λόγου ἑρμηνευθέντα κατὰ δύναμιν*, sic Epitomae quoque libro priore formalem quam dicunt artis gram-

maticae partem tractavit scriptor, altero de constructione partium orationis egit. Atque si in universum rem spectas negari sane non potest, auctorem Epitomae ordinem grammaticae Dionysii esse secutum. Sed prorsus idem in alios quoque veluti in Moschopulum cadit: vel potius homines Byzantinos omnes fere et a doctrina et ab ordine libelli Dionysiani profectos esse constat. Quomodo autem homini Byzantino docto in mentem venire potuerit epitomam grammaticae Dionysianae quae est ap. Bekk. An. Gr. II. p. 629—643, conficere equidem non dispicio; neque ullus praeterea eiusmodi titulus aut apud veteres aut apud recentiores grammaticos occurrit neque eum in hoc de quo agimus opusculum convenire viros doctos, cum id perlegerint concessuros esse spero. Nam et paragraphi nonnullae artis Dionysii prorsus sunt omissae et ea quae retenta sunt Dionysiana tam variis flosculis undique decerptis intermixta sunt, ut fere in epitoma Dionysii te versari facile obliviscaris totumqae hunc libellum, si rationem respicias, quae inter grammaticam Dionysianam et hanc Epitomam intercedit, commentarios potius quam epitomam artis Dionysianae dicere commode possis. Atque hoc quidem ubi de fontibus Epitomae disseremus clarius patebit. Sed aliud nec minus grave accedit. Dionysii enim grammaticam simpliciter *γραμματικῆς* nomine significari potuisse nego. Potuit sane dici *τῆς γραμματικῆς*; in eam enim partem accipi volo Eustathianum illud: *οἱ ἐξηγηταὶ τῆς γραμματικῆς* atque *οἱ γραμματικοί*. Multo autem frequentius nomen erat *ἡ Διονυσίου τέχνη* — unde *ὁ τεχνικός* — vel *ἡ τοῦ Διονυσίου βίβλος*, vel simpliciter *ἡ τέχνη* vel etiam *τέχνη*. Neque vero aut apud Sextum Empiricum aut Apollonium Dyscolum aut Herodianum aut Choeroboscum aut commentatores Dionysii aut alibi unquam simpliciter *γραμματικῆς* nomen usurpatum inveni de arte Dionysiana. Nam quod Schol. Dionys. pag. 672 et 673 not. narrant, inscribi libellum Dionysii apud quosdam *περὶ γραμματικῆς* nihil huc facit: immo vero illud novisse refert, quod sollemne nomen fuerit arti Dionysianae apud veteres: cf. Choerob. dict. in Theodos. Can. vol. II. p. 692 et 712. Gaisf. Schol. Dionys. p. 647. 671sqq. 723 alios. Itaque ne illum quidem locum qui legitur apud nostrum auctorem p. 97 mss. mei: *Ὁρισάμενοι τὸ παρώνυμον πρότερον, αὖθις λέγωμεν ὃ γραμματικῇ δοκεῖ περὶ τοῦδε* cum Hartio l. s. p. 32 ad Dionysii grammaticam referendum censeo: immo vero ibi grammatica op-

ponitur philosophiae; nam quae insequitur derivativi nominis explicatio non ab ipso Dionysio profecta potest esse, cum parum consentiat cum Dionysiana p. 635, 17sq., sed hausta est e fontibus Byzantinorum, id quod apparet coll. Choerob. personat. epim. in psalt. David. p. 32, 21 et Theodor. Gaz. lib. IV p. 195 ed. Venet. 1807. Denique vellem dixisset Hartius quomodo acciperet illud *νέα*: sed caute silentio praetermisit hanc difficultatem. Neque enim sanum sensum illa vox praebet, si Hartianam sequimur interpretationem. An hanc novam Dionysianae artis Epitomam aliis iam antea factis opponi censebimus? Quid igitur censes? Me si audies, hunc titulum ita interpretaberis, ut sit compendium vel breviarium grammaticae doctrinae, qualis aetate auctoris eius in Byzantinorum scholis tradebatur pueris; *νέα* autem voce opponitur hoc compendium primum grammaticae Dionysianae, quae et ipsa saepius *σύνοψις* (cf. cod. Parisin. 2650 ap. Bekk. An. Gr. III p. 1129) vel *εἰσαγωγὴ* vel etiam *ἐπιτομὴ* nuncupatur ab hypomnematistis, deinde etiam aliis grammaticis, quibus Excerptor sua debet. Similem sententiam iam Titzius proposuit diatrib. litt. de Moschopul. p. 12sq., nec tamen argumentis probavit. Itaque nostrum est, demonstrare *ἐπιτομὴν γραμματικῆς* eo quem dixi sensu posse usurpari. Atque apud optimos quidem Graecitatis auctores aut vetustiores grammaticos hunc usum non inveni: ibi enim *ἐπιτομὴ* cum genetivo coniunctum scriptoris alicuius opus est in brevius contractum, veluti *ἐπιτομὴ τῶν Ἡροδότου*, epitoma Livii, Trogi Pompeii, similia. Sin absolute positum est, nominativum adiectivi, non genetivum nominis substantivi assumere solet: velut optime dici potest *ἐπιτομὴ ῥητορική* (ut *σύνοψις*, *εἰσαγωγή* sim.), *ἰατρική*, *μαθηματική* quae dictiones etiam in Byzantinorum scriptis occurrunt; apud eosdem etiam *ῥητορικὴ σύντομος*, *ἐπίτομος*, *περὶ γραμματικῆς ἐπιτόμως* vel *συντόμως* vel *ἐν ἐπιτομῇ* similia in usu erant, quorum exempla alio loco ex schedis meis depromam. Sed inde ab eorundem Byzantinorum ut videtur aetate etiam eo quo in hoc titulo apparet sensu invenitur. Quem in usum optime quadrat *ἐπιτομῆς* definitio quam posuerunt Byzantinorum grammaticastri veluti Choerob. dict. ad Theodos. Can. vol. I. p. 19 et 21 sq.:

Εἰσαγωγή ἐστιν ὁδήγησις τῶν λόγων ἀπὸ τῶν ἐλαττόνων εἰς τὰ μείζονα.

ἐπιτομὴ δέ ἐστι σύντομος τῶν κεφαλαίων παράδοσις ἢ

διήγησις, ex quo loco corrigendus erit Zonar. lex. s. h. v. vol. I. p. 805 T. Est igitur *ἐπιτομὴ νέα γραμματικῆς* „novum compendium artis grammaticae e veteribus artium scriptoribus collectum.“ Itaque suo iure ipse auctor Epitomae *εἰσαγωγήν* eam appellavit p. 60. Neque aliter intellegi voluit hunc de quo agimus titulum librarius codicis Pragensis, cum teste Titzio praefat. p. XII huic praefecerit alium: *περὶ νέας γραμματικῆς*, h. e. de arte grammatica, qualis Byzantinorum aetate doceri solebat: cf. etiam Schoellii hist. lit. graec. vol. III. p. 177. Hunc autem usum tunc temporis sollemnem fuisse ille codex Venetus quo haec Epitoma continetur ostendit. Quae enim hanc Epitomam sequuntur fol. 105^{v} sqq: *ἐπιτομὴ τῶν ἐννέα μέτρων* (ut *σύνοψις τῶν ἐννέα μέτρων*) et *Φουρνούτου* (l. *Κορνούτου*) (cf. Villoison. An. Graec. vol. II pag. 243. Fabric. Bibl. Graec. vol. III pag. 555 sq. Galei praef. in opusc. Myth. Amstelod. 1688. Villoisoni prolegg. in Cornut. p. XXIX ed. Osann. et quos affert auctores. O. Jahnii prolegg. in Pers. pag. XI sqq.) *ἐπιτομὴ περὶ τῶν παραδεδομένων περὶ θεῶν* prorsus eodem sensu esse accipienda neminem fugit. Notissima est Constantini quoque Lascaris syntaxeos inscriptio: *ἐπιτομὴ τῶν ὀκτὼ μερῶν τοῦ λόγου*: cf. etiam Fabric. Bibl. Graec. VI 329. Proxime autem ad huius Epitomae titulum accedit is, quo Zonaras ipse *χρονικὸν* seu annalium libros denotavit, lib. III^{e} 26 p. 303 ed. Bonn.: *ἐπιτομὴ ἱστορίας*.*)

CAPUT TERTIUM.

De consilio atque ratione Epitomae.

§ 6.

Confectum esse hoc compendium grammaticae discentium in usum et inscriptione libelli edocemur et scriptor ipse declaravit: cf. p. 2: *ἐπεὶ δὲ πᾶν διδακτὸν ἐξ ὅρου καὶ παρεπομένου καταλαμβάνεται*. p. 5: *Ἀλλ' αἱ δύο αἰσθήσεις αὗται, ὅρασις καὶ ἀκοή, τοὺς εἰσαγομένους εἰς ἐπιστήμην ὁδηγοῦσι*. p. 60: *τέως δὲ φωνὰς οἷον ληπτέον ὡς ἐν εἰσαγωγῆς τρόπῳ κτλ*. Cum hoc Epitomatoris consilio totius libri ratio institutio-

*) Hartii de Epitomae inscriptione sententiam K(eilio) quoque in Zarnckii diar. litt. 1871 pag. 1082 sq. et censori anonymo libelli Hartiani in Leutschii nunt. philol. vol. IV (1872) pag. 84 improbatam vidi.

que optime congruit; quam auctor ipse in titulo libri prioris indicavit his verbis: *πάσης ἀπιομένη μεθόδου, ὡς μήτ' ἐλλείπειν καὶ τὰ περιττὰ καταλύουσα (καταλύειν?)*, ubi *μέθοδος* non est ars, ut Titzio videtur diatrib. litt. de Moschopul. p. 13, sed via atque ratio ea, quam homines Byzantini in tradenda grammatica sequi solebant. De ea testem locupletiorem novi neminem Tzetza ad Hesiod. opp. v. 285: *Ἡ ἀρετὴ χρονία καὶ δυσχερής· τυχὸν γάρ τις ἐθέλει γραμματικὴν ἀρετὴν ἐπικτήσασθαι καὶ οὐκ εὐθέως αὐτῆς γίνεται μέτοχος, ἀλλὰ πρότερον αὐτὸν* (l. *αὐτόν*) *τοῖς στοιχειώσεσι γράμμασιν, εἶτα ταῖς συλλαβαῖς καὶ τῇ λοιπῇ παιδείᾳ, ἔπειτα* (l. *ἐνταῦθα!*) *τῇ Διονυσίου βίβλῳ προσέχων καὶ τοῖς Θεοδοσίου κανόσι καὶ ποιηταῖς* (l. *καὶ τοῖς λοιποῖς τεχνικοῖς!*), *εἶτα σχεδογραφίας ἀπάρχεται καὶ πολλὰ πολλοῖς μογήσας τοῖς χρόνοις μόγις τὴν ἀρετὴν ἐπικτᾶται.* Cum his verbis qualia revocavi Epitomae huius ordini atque rationi optime convenire apparet. Inde enim intellegitur iam Tzetzae aetate moris fuisse Byzantinis artium scriptoribus quemadmodum fecit auctor huius de qua agitur Epitomae a litteris incipere, deinde ad syllabas progredi hisque ceteras grammaticae disciplinae partes Dionysiani libelli ratione habita subnectere, haec omnia autem commentariis undique petitis illustrare. Profectus igitur est Epitomator tanquam a certo firmoque fundamento a Dionysii Thracis arte grammatica, quae ut ait Ritschelius praefat. in Theodul. pag. LVI „communis fons fuit grammaticorum Byzantinorum.“ Haec verumne ac genuinum opus discipuli illius Aristarchei an a misello aliquo grammaticastro Byzantino conscripta sit, cum homines docti inde a Goettlingio diu multumque certarint, nunc res eo rediit unde profecta erat, esse illam quidem a Byzantinis misere ac foede interpolatam, summam autem libelli re vera ab Aristarchea doctrina repetendam. Sed cum tota haec quaestio ad caussam nostram nihil faciat et recentioris aetatis grammaticos Byzantinos eadem fere artis Dionysianae forma qua nos usos esse inter omnes constet, id unum hic *ὡς ἐν παρέργῳ* dixisse sufficiat, me plane cum iis hominibus doctis sentire, qui a vetere illo Dionysio Thrace hoc compendium grammaticae compositum esse arbitrantur. Polliceor tamen, me de ea re alias data occasione accuratius acturum esse. Dionysiana igitur neque omnia in sua convertit neque ordinem eorum prorsus servavit. Quae enim Aristarchi discipulus de definitione atque muneribus artis gramma-

ticae, de lectione, de rhapsodia docuerat, ea ut supervacanea atque ab eo quod propositum sibi esset aliena prorsus omisit; ea autem, quae Dionysius de accentibus et de distinctionibus tradiderat, neque eodem modo tractavit Epitomator neque eodem quo ille loco disposuit. Inprimis definitiones Dionysii adoptavit: quae explicandis eis inservire viderentur, ab Apollonio Herodiano Choeroboseo, Dionysii Thracis commentatoribus aliis mutuatus est. Atque non solum a grammaticis verum etiam a musicis, philosophis, rhetoribus sua petiit, sive ipse libros eorum inspexit, sive id quod magis crediderim, iam ab aliis excerpta invenit. Sed haec omnia ubi de Epitomae fontibus disseremus, pluribus exponam.

Hoc loco unum illud addidisse satis habeo, etsi libellus hic in partes duas dividitur, quarum una etymologiam quam dicunt (cf. Lob. pathol. init.), altera syntaxin continet, tamen has non ea qua hodie solent perversa ratione severe dirimi, id quod a veterum grammaticorum nullo unquam factum esse tenere lectores volo. Priore igitur libro de litteris, syllabis, dictione, oratione (ut cum grammaticis Latinis vertam), de dictionum affectionibus, spiritibus, accentibus, distinctionibus, altero de octo partibus orationis eorumque constructione agitur. In quo animadvertendum illud videtur, quod in altera parte nomen et verbum tanquam *τὰ ἐμψυχότατα μέρη τοῦ λόγου* fusius tractavit ille quidem, sed ita, ut quae verbo communia sunt cum nomine, ne ea quidem seorsim proferat. Ceterarum autem partium orationis nihil nisi recensum quendam agit capite libri alterius ultimo.

CAPUT QUARTUM.

De auctore huius Epitomae.

§ 7.

Sequitur quaestio difficillima de Epitomae huius auctore deque eius aetate, de quibus certum nemodum iudicium fecit. Et profecto quam difficile sit ac molestum de eiusmodi rebus iudicare mecum sciunt omnes harum rerum periti et exemplum Osanni Goettlingii Titziique ipsius docuit. Cum enim Harlessius (ad Fabric. Bibl. Graec. vol. VI. p. 323 not. pp.) servari Venetiis in codice bibliothecae D. Marci CCCCLXXXVI, qui codex, Studemundo teste, chartaceus, folio octavo saeculi XV^{ti}, olim Bessarionis, miscellaneus est, diversa grammaticorum graecorum scripta con-

tinens, Manuelis Moschopuli Cretensis grammaticam in compendio monuisset, Titzius priorem eius librum in codice Pragensi invenisse sibi visus est. Hanc de Epitomatore opinionem in praefat. pag. XIV—XVIII inde potissimum probare conatus est, quod eodem codice alia quoque Moschopuli eiusdem continerentur; deinde quod pars prima *τῶν ἐρωτημάτων βραχυνθέντων* seu *διορθωθέντων παρὰ τοῦ Μανουὴλ Μοσχοπούλου* p. 1—7 ed. Walder Basil. 1540. 8. „si ordinem rerum non parum immutatum excipias" huius Epitomae compendium seu breviarium per quaestiones et responsiones redactum videretur esse; tum quod Macarius Chrysocephalus, saeculi post Chr. n. XIV^ti^ fere medii scriptor teste Fabric. Bibl. Graec. VII 775 ed. vet. et Villoison. An. Graec. II p. 5 initio „Catenae" in D. Lucae evangelium conscriptae se ait multifarias *λόγος* vocabuli significationes a Manuele grammatico petitas in opus suum transtulisse: desumpsit igitur eas e capite quinto libri prioris huius Epitomae. Denique tractatus ille *περὶ τῶν παθῶν τῆς λέξεως* e cod. Parisin. 2662 ab Henrico Schaefero ad calcem Gregorii Corinthii editus qui testante eodem Schaefero in codice Darmstadiensi sub hoc titulo exstat: *περὶ τῶν παθημάτων τῶν λέξεων Κυροῦ Μανουὴλ τοῦ Μοσχοπούλου* quod nomen etiam alii codices prae se ferunt (cf. Bastii not. ad Greg. Cor. Add. et Corrig. p. 908), cum capitis quinti huius opusculi parte altera non ordine quidem atque verbis, re tamen consentit. Postremum Titzius illud affert, quod auctor lexici de spiritibus a Valckenario ad calcem Ammonii editi potissimum Moschopuli de prosodia doctrinam, quae in Epitoma legitur coartata, transscripsisse sese ipse his verbis indicarit: *ἕρμα τὸ ἔρεισμα ψιλοῦται, ὡς ἀπὸ τοῦ ἔρεισμα γεγονὸς κατὰ συγκοπήν· ἐν δὲ τοῖς Θεοδωρίτου, ἀλλὰ καὶ ἐν πολλοῖς τῶν σχεδεκδοτῶν* (quod cum Titzio non est commutandum in *σχεδεκδότων*, scil. *βιβλίων* s. *γραφῶν*) *τὸν ἔρνος δασυνόμενον εὗρον*: p. 219 ed. vet. = 197 ed. Lips. cf. p. 241 = 214: fuit enim Moschopulus inter celeberrimos suae aetatis schedographos. Haec Titzius.

Falsam esse hanc sententiam coarguit censor anonymus editionis Titzianae in nunt. vir. doct. Gott. 1823 pag. 802sq. cuius verba haec sunt: „Der herausgeber schreibt die Epitome dem Moschopulus zu, teils, weil jene schriften desselben (scil. *περὶ ἀντωνυμιῶν, περὶ ἄρθρου, περὶ προθέσεων*) und ohne überschriften noch mehreres aus dem werke *περὶ σχεδῶν* voraus-

gehen, teils, weil die ἐρωτήματα βραχυνθέντα des M. ein auszug aus dieser schrift zu sein scheinen. Der letztere grund wird bei der vergleichung nicht leicht jemanden einleuchten; der erstere wird schon dadurch entkräftet, dass ja in derselben handschrift auch andere grammatische werke, namentlich des Syngelus stehen. Rec. findet auch die stellen, die mit M. namen anderswo angeführt werden, und die herr T. hier wieder zu finden glaubt, nicht für den zweck beweisend; denn über den λόγος und περὶ παθῶν τῆς λέξεως ist auch von Syngelus und fast allen andern grammatikern gesprochen und die von Macarius und dem unbekannten angefübrten stellen aus Moschopulos sind zu abweichend von dem vorliegenden. Mit übergehung innerer gründe, die gegen des herausgebers zuversichtliche annahme dieses verfassers sind, bemerkt Rec. nur, dass Moschopulos' epitome ein werk ganz anderer art nach alphabetischer ordnung war und verweiset auf Theupolus' catalog der Marcusbibliothek, wo s. 255 auch der anfang des werkes steht. Daselbst wird auch der anfang von M. schrift (!?) περὶ τῶν παθῶν τῆς λέξεως gegeben und dies ist ebenfalls ganz von dem vorliegenden verschieden, wie man aus catal. bibl. Taur. l. I. p. 375 cod. 261 und noch vollständiger aus Bandini bibl. Medic. tom. II. p. 279 sieht. Der verfasser der Epitome ist also unbekannt.... er ist vielleicht noch älter als Moschopulos." Quam vere sint haec disputata, ex ea quam de fontibus huius Epitomae postea instituemus quaestione clarius patebit. Ceterum cum censore Gottingensi in eandem sententiam abierunt Schoell. hist. litt. graec. vol. III. p. 178. Ritschel. praefat. in Theodul. p. LII et CXLII. opusc. I 649. Walz. praefat. in Tryph. de fig. in Rhett. Graec. VIII. p. 726sq. M. Schmidt. Philol. vol. VIII. p. 241 sq. C. E. A. Schmidt. „Beitr." p. 90. A. Hart. libell. schol. Berol. 1871 pag. 11; qui cum omnes Epitomam Moschopulo abjudicarent alium eius auctorem in medium non protulerunt; immo vero Hartius l. s. pag. 34 nec de auctore huius libelli nec de aetate satis constare ingenue fatetur. Ne ego quidem his viris omnibus doctissimis multo certiora proferre ausim. Moschopuli quidem esse hanc Epitomam collatis eius erotematis grammaticis qualia nunc leguntur copiosiora Walderianis apud Ritschel. praef. in Thom. Mag. p. CXXV ss. et post Et. Gud. Sturzii p. 669ss. ego quoque nego: neque enim erotematis illis aut de ordine rerum tractatarum aut de doctrina ipsa

aut de dictionis genere cum hac Epitoma convenit. Quae autem communes alteri cum altero sunt vel definitiones vel explicationes, eas utrum ex eodem fonte hauserit uterque an alter ab altero mutuatus sit, difficile est ad diiudicandum, quamquam equidem in eam quam posteriore loco posui sententiam pronior sum. De ea re deinceps accuratius videbimus. Hoc loco illud unum moneo, Titzianae sententiae priorem huius Epitomae librum aliquam veritatis speciem addere videri: prorsus repugnare ei librum alterum, qui hic primum in lucem exit. Quae res adeo in aperto posita est, ut operae pretium non esse facturus viderer, si diutius ei immorarer. Ac tamen ex hac ipsa necessitudine, quae Epitomam inter ceterosque Byzantinorum recentioris aetatis libros grammaticos intercedit, unice de auctoris eius nomine et tempore certi aliquid concludi potest. Quare ne quid huiusmodi me fugeret, in notis verborum textui substructis sedulo cavi, ex quibus, utrum recte iudicassem an secus, intellegi posset. Nihilominus eorum quae vel ad verbum consentientia cum Epitoma apud alios et recentiores scriptores inveniuntur, permulta esse ita comparata contendo, ex quibus certi quidquam ad hanc caussam absolvendam negaverim effici. Nam ne de locis plane dubiis loquar, ex iis quae a Dionysii commentatoribus petita sunt, priusquam de eius qua hodie utimur scholiorum collectionis indole ac tempore inter viros doctos convenerit, — quod fieri ut possit, nova editione opus erit, quam suo iure iam Wachsmuthius desideravit Nov. Mus. Rhen. XX 377 (cf. etiam H. Keilius in Zarnckii diar. litt. 1871 pag. 1083) — elici nihil poterit: Epitomatorem enim passim pleniora quam nos ante oculos habuisse in Dionysium hypomnemata, ubi de huius libelli fontibus exponemus, identidem monebimus. Ne ex eo quidem loco qui est de litterarum definitionibus, qui a Theodoro Prodromo descriptus videri possit, quidquam ad id quod volumus efficiendum redundaverit propter Iriarte cod. Matrit. I p. 315. Minus etiam Josephus Racendytas, quocum Excerptor de dictionum affectionibus deque distinctionibus plane consentit, huc facit propter ea quae Walzius disputavit praef. in Josephi Racendytae synops. rhet. Rhett. Graec. III p. 465. Quamquam miram esse tantam consensionem iam nunc concedo. At possit aliquis habita eorum locorum ratione, qui Aristoteleam redolent doctrinam, et adhibito egregio Jourdainii libro (Recherches critiques sur l'age et l'origine des traductions latines d'Aristote, Paris 1843 (2).) aetatem saltem

Epitomae accuratius definire sibi videri: ne hoc quidem ullo modo fieri potest. Neque enim ipse inspexit Epitomator libros Aristotelicos et erat homo Byzantinus, in quem eiusmodi temporum ratio ceteroquin certissima minime cadat. At nonne genus dicendi quo Excerptor utitur collata aliorum grammaticorum recentioris aetatis oratione viam nobis munire poterit ad nomen auctoris indagandum? Sed certum dicendi genus in Epitoma non apparet, quippe cuius quivis fere alius locus ex alio libro grammatico ad verbum fere sit transscriptus. Superest unus Maximus Planudes, qui possit auxilium nobis ferre: de eo ubi quaestionem de fontibus absolvero, accuratius agam; hanc autem ita instituam, ut si quid e singulis locis ad aetatem Epitomatoris definiendam concludi posse videatur, religiose enotem atque in fine huius de fontibus quaestionis meam de Epitomatore deque eius aetate sententiam in medium proferam.

CAPUT QUINTUM.

De fontibus Epitomae.

§ 8.

In Epitomam universam optime cadit iudicium illud, quod Goettlingius praefat. in Theodor. Prodr. (cf. Uhlig. Nov. Mus. Rhen. vol. XIX p. 37 not.) de Dionysii Thracis grammatica iniquius quam verius tulit: „Cento est ex pannis tam veterum quam recentiorum grammaticorum."

§ 9.

Incepit enim Epitomator, ut supra monui, artem suam a litteris, id quod non solum suae aetatis grammaticis moris fuisse Tzetza ad Hesiod. opp. 255 tradidit, verum etiam iam nonnullis veteribus artium scriptoribus haud inusitatum fuisse testis est Choeroboscus (cf. Prelleri comment. select. p. 82; cf. tamen Hoerschelm. de Dionys. Thrac. interprett. vett. p. 9 et Act. soc. philol. Lips. ed. Ritschel. tom. V p. 297 sqq.) in schol. Dionys. p. 730; cf. etiam Keilii gramm. lat. vol. V p. 317 al. Preller. l. s. p. 89. Horum igitur exemplum secutus Epitomator a litteris exorsus primum de inventione earum agit, in quam rem iam Aristotelem inquisivisse constat. Apollonium quoque Dyscolum, qui a voce profectus est in arte grammatica (cf. Preller. l. s.), *περὶ τῆς*

εὑρέσεως τῶν στοιχείων scripsisse patet ex Synt. I 3 pag. 13. Quicunque autem huic parti artis grammaticae operam navarunt, quam diversas in sententias abierint, docent schol. Dionys. 781 sqq. Nec tamen cum horum ullo Epitomator plane consentit: qui unde sua desumpserit vel potius quis primus hanc sententiam proposuerit nescimus. Videtur sane hic de litterarum inventione tractatus iam antiquitus vulgatus fuisse; fluxit enim ex eodem fonte atque ea quae leguntur in cod. Marc. 489 ap. Villoison. Diatrib. p. 187 sq., in cod. Vatican. 1751 fol. 1 ap. Bekk. An. Graec. vol. III p. 1168 sq. ap. Theod. Prodr. (is enim dicendus) Goettlingii p. 1 sq. in cod. Vatican. 711 fol. 97 B ap. Walz. ad Arsen. Viol. p. 463 sq. (cf. Franzii elem. epigr. p. 14 sq. O. Jahnii Palamed. p. 24 sq.), in cod. Hamb. fol. 295 (ap. Preller. „quaestiones de hist. gramm. Byz.“ ind. schol. Dorpat. aestiv. 1840 p. 23 = commentat. select. p. 86 sq.) in cod. Burbon. II D 4 fol. 116^{v} cod. Laurent. plut. 57, 24 fol. 45^{v} cod. Ambros. C. 69. cod. Grottaferat. CCXVII teste C. Wachsmuthio Nov. Mus. Rhen vol. XX p. 376. cf. etiam Bandini bibl. Laurent. vol. II p. 368. Tzetz. Chil. V 804—828. XII 36—54. exeg. in Iliad. p. 46 et 77 sq. ed. Herm. cf. etiam Tacit. Annal. XI 14 Lucian. iudic. voc. c. 5. aliosque permultos, quos hic enumerare longum est. His enim locis omnibus eaedem singulis litterae inventae tribuuntur, cum ceteri scriptores alias ad alios referant auctores, id quod pluribus persequi ab hoc loco alienum est: cf. J. Scalig. ad Euseb. Chronic. p. 110 sqq. Salmas. ad inscriptt. Herod. Att. p. 29 sqq. 221 sqq. Meurs. ad Hesych. Miles. p. 179 sqq. Fischer ad Well. gr. gr. vol. I. p. 5 sqq. Buttm. ausf. gramm. (2) I. p. 10 sqq. Leutschii not. ad Apostol. cent. XVII 89 in corp. paroemiogr. vol. II p. 713. Baeumlein „Untersuchungen über die ursprüngliche Beschaffenheit des gotischen und griechischen Alphabets p. 7 sqq. Kühner ausf. gramm. I p. 40 sqq. (2). Franz. elem. epigr. p. 12 sqq. Wilmanns. de M. Terenti Varronis lib. gramm. p. 119 sqq. V. Rosii Aristot. pseudepigr. pag. 472 sq. aliosque multos. De Palamede cf. O. Jahnii diss. inaug. (1836) p. 25 sq. Franz. elem. p. 14 sq. E. Curtius in Nov. Mus. Rhen. VII 456. Pott. in Kuhnii Syllog. V 277. G. Curt. Etymol. graec. p. 252 (3) Ttzetz. Chil. III 172. V 804 sqq. De Cadmo cf. Muelleri fragm. hist. Graec. vol. II p. 2 sqq. De Simonide cf. P. G. Dukeri disp. de Simonide Ceo poeta et philos. Ultraject. 1768. 4. p. 5 sqq. De Epicharmo cf. Schol. Dionys. p. 782, 25 sqq. De toto hoc loco cf. Blochii libell. schol. Haun. 1829—31

p. 3 sqq. Kirchhoff „Studien zur Geschichte des griechischen Alphabets“ p. 1.

Consulto autem ut videtur Epitomator omnia ea, quae a ceteris in comparationem cum Ebraeorum litteris ac libris vocantur, omisit. Idem ab eis quos supra attuli scriptoribus eo quoque dissentit, quod viginti quattuor litterarum numerum ad similitudinem viginti quattuor horarum diei refert, non carminum Homericorum; hoc eum Stephano scholiastae Dionysii debere elucet e BAG. II 779, 1 sq.: *Εἴκοσι τέσσαρα λέγουσιν αὐτὰ εἶναι κατὰ μίμησιν τῶν εἴκοσι τεσσάρων ὡρῶν τῆς νυχθημέρου;* eidem sua accepta referre Theodorum Prodr. p. 16, 20 sqq. iam Fr. Spitzner monuit Ephem. Jen. 1825 p. 277. Quae deinde sequuntur conflata sunt e Dionys. p. 630, 26 sqq. (de quo loco cf. M. Schmidt. Philol. vol. VIII p. 233. Ammon. Herm. ad. Aristot. *π. ἑρμ.* p. 101 Schol. Berol. Lerschii Sprachphilos. II 71. Classen de prim. gr. gr. p. 84) et schol. Melamp. ad Dionys. p. 789, 20 sqq. cf. cod. Schellershem. Man. Moschopul. post Sturzii E. Gud. pag. 678, 50. Moschopul. cod. Gud. 112 ap. Ritschel. praefat. in Theodul. p. CXXVIII, qui praebet *ἐν τάξει.* cf. etiam cod. Mus. Britt. Add. 5118 ap. Cram. AO. IV 320, 24. Schol. Dionys. p. 790, 20, ubi legas: *τὸ ἐν τάξει πορεύομαι* coll. Steph. schol. pag. 791, 20 sq. 772, 4—8. cf. C. E. A. Schmidtii Beitr. p. 80 sqq. Valkenaer. ad Ammon. I C. XIII p. 42 sqq. ed. Lips. cf. etiam Steph. schol. Dionys. p. 772, 22. 793, 1. 789, 24. 791, 7 sq. 10 sqq. De *γράμμα* cf. E. Gud. 129, 27. Cram. AO. IV 321, 12. 326 init. = Schol. Dionys. 789, 6 sq. (Stephani? coll. Hoerschelm. de Dion. Thr. interprett. vett. p. 14) Definitionem *στοιχείου* desumpsit Epitomator a Melamp. ad. Dionys. p. 773, 11 sq.; quam ad Aristotelem redire apparet ex Aristot. Metaphys. IV 3 p. 1014 B *περὶ ἀτόμων γραμμ.* p. 972. cf. etiam Metaph. II 3 VI 17 extr. I 3. Stob. ecl. phys. p. 83 M. Dionys. Halic. de comp. verb. c. XIV init. Walz. Rhett. Graec. vol. VI p. 110. Prisc. I 3 de accent. p. 519 K. cod. Schellershem. p. 678, 49 sq. cf. Steinthal. Gesch. d. Sprachw. p. 248. A. Hart. p. 14. Definitionem autem „litterae“ Apollonii esse apparet e Priscian. I 4 = Theodor. Prodr. p. 2, 15. 12, 9. cf. Melamp. ad Dionys. pag. 774, 25 sqq. Cram. AO. IV 321, (ubi v. 25 legas $\overline{\varrho}$ $\overline{\pi}$ $\overline{\sigma}$ $\overline{o}$ coll. Prisc. I 5 p. 7 H. et schol. Steph. ad Dionys. g. 795, 1.) cf. Valcken. animadvv. ad Ammon. de diff. p. 39 I C. XIII p. 42 sqq. ed. Lips. et Henrichsen de enuntiat. pag. 89 sq. Hoerschelmann. l. s. p. 28 sq. Post haec quae de $\overline{\alpha}$ littera principatum

tenente docentur et ipsa sunt Apolloniana: cf. de constr. I 3 p. 13, 3—10. a quo intercedente Choerobosco sua sumpsit etiam Steph. ad Dionys. p. 788, 22 sqq. cf. cod. Ottobon. 173 fol. 166^{r} ap. Bekk. not. ad p. 788, 21 vol. III p. 1171. cod. Gud. 112 ap. Ritschel. praefat. in Thom. Mag. p. CXXIX. Theod. Prodr. p. 4, ubi v. 26 legendum *αὐτό*. E. Gud. p. 39, 39. E. M. init. Schol. Hom. i 349. Villoison. An. Graec. II 186 sq. Cram. AO. IV 322, 20. Heliodor. schol. in Dionys. e cod. Burbonico II D 4 ap. Wachsmuth. Nov. Mus. Rhen. vol. XX pag. 385, ubi pro *εἰρηϑέν* legas *εὑρεϑέν* et pro *καὶ τουτο* leg. *διὰ τοῦτο*. cf. etiam Plut. conviv. IX 2, 2.

§ 10.

Capitis alterius pars prior qua *περὶ ὅρων στοιχείων* agitur prorsus consentit cum eis, quae ap. Theodor. Prodr. p. 13 sq. et pleniora his, adiectae sunt enim terminationes verborum et nominum, quae singulis litteris efficiuntur, apud Iriarte cod. ms. bibl. reg. Matrit. vol. I p. 315 inveniuntur. Sunt autem hae litterarum definitiones ex eis quae docent Dionysius p. 631 sq. et schol. Dionys. pag. 796 sqq. ex litterarum serie in usum discentium desumptae. Nam ne quis ab uno Dionysio quisquis primus hanc litterarum epitomam confecit, petiisse sua putet, conferat ea, quae noster et Theod. Prodr. de vocalibus praecipiunt cum Dionysianis p. 631, 1—10 et eis, quae e Choerobosci commentariis mutuatus est Melampus ad Dionys. pag. 803 sq., de liquidis Dionys. p. 631 sq. et Steph. p. 807 sq., de *σ* littera Steph. ad Dionys. pag. 816, 29—31. Haec igitur utrum Epitomator ipse primus posuerit an ab alio mutuatus sit, cum praeter hunc locum apud unum Theodorum Prodromum et Iriart. l. s. extent, nunc quidem in medio relinquendum erit: cf. supra pag. XXIV sq.; quamquam si cetera omnia ab aliis excerpta consideraveris, etiam haec aliena esse facile credideris.

§ 11.

Sequitur eiusdem capitis pars altera *περὶ παρεπομένων στοιχείοις*, cui in codice Veneto inscriptum est sic: *ὅτι τέσσαρα ἔπονται ἑκάστῳ*. Quae hic praecipiuntur proxime accedunt ad ea, quae ab Apollonio sumpsisse Priscianum lib. I 7 sqq. alio loco ostendam: „Accidit litterae nomen figura potestas“ et § 8: „quidam addunt etiam ordinem, sed pars est potestatis.“ cf. I § 50 sqq. Sext. Empir. adv. gramm. pag. 621, 7 sqq. Bekk. Cram. AO. IV 321, 26. Melamp.

ad Dionys. pag. 773, 21 sqq., qui locus videtur lacunosus esse. cf. pag. 795, 11 sqq., ubi v. 18 inseras *ἐκφώνησις* post *ἀποτελουμένη* Theod. Prodr. p. 3, 1 sqq. sex *παρεπόμενα στοιχείῳ* enumerat. *φωνή, δύναμις θέσις* Heliodorus statuit in cod. Burbon. II D 4 ap. Wachsmuth. Nov. Mus. Rhen. XX p. 385. Quos locos omnes si inter se comparaveris, neutri eorum prorsus convenire cum altero perspicias. Illud tamen collato Prisc. l. s. apparet, haec de quibus disputamus aeque atque ea, quae apud Sextum Empiricum et Melampoda (vel Diomedem teste cod. Marcian. 489 et 652 ap. Villoison. diatrib. 186. cf. Hoerschelmann. l. c. p. 28 sq.) et apud Moschopulum in cod. Gud. 112 apud Ritschel. praefat. in Thom. Mag. CXXVIII inveniuntur, ceteris longe praestare et antiquitate et bonitate. Sic schol. Dionys. p. 795, 13 sqq. *σχῆμα* et *χαρακτὴρ* temere dirempta sunt, ut in Cram. AO. IV l. s. *δύναμις* et *ἐκφώνησις*, utrumque ap. Theod. Prodr. pag. 3, 1 sqq. Nec magis consentiunt definitiones. Cum Epitoma optime convenit Prisciano I 7: „Nomen, velut a, b." § 8: „figurae accidunt, quas v i d e m u s in singulis litteris." „potestas autem ipsa pronuntiatio", quibus collatis corrigas Et. Or. 129 *ἡ αὐτή*; consentit etiam Melampus pag. 773. Videntur igitur haec ad Apollonium referenda esse. Quae de auditu et visu tradit tanquam instrumentis discendi nescio unde sumpserit Epitoma. Redolent tamen Aristoteleam doctrinam (cf. not. ad h. l.) aeque atque ea quae insequuntur. Fortasse e scholiis Dionysii nostris copiosioribus vel ineditis sua hausit: cf. p. 773 = Theod. Prodr. p. 2, 27 sqq. Favorin. p. 1685 ed. Basil. 1538.

§ 12.

In capitis tertii parte priore quae de distributione vocalium et consonantium leguntur e Dionysio eiusque scholiis conflata sunt. Cum definitione vocalis litterae conferas verba Stephani ad Dionys. pag. 796, 13 sq., ubi pro *καθ' ἑαυτῶν* legas *καθ' ἑαυτά*. coll. Lucian. iudic. vocal. c. 5. cf. cod. Burbon. ap. Wachsmuth. Nov. Mus. Rhen. vol. XX p. 386. Consonantis autem litterae definitio facta videtur esse e Dionysiana p. 631. In ea quae subsequitur vocalium distributione „*δίχρονα*" vocabulum retinuit quamvis castigatum illud atque improbatum Stephano ad Dionys. p. 800, 28 sqq.; addidit autem „*ἐπιδιαίρεσιν*" in *μεταβολικά* et *ἀμετάβολα*, quam qui omisit Dionysius vituperatur a Melampode p. 803, 29 sq. Cum

definitione autem semivocalium apte comparari poterunt ea quae docent Priscian. I § 9. Dionys. pag. 631, 15 sqq. Stephanus ad Dionys. pag. 806, 5 sqq. Melampus ibid. v. 15 sqq., ubi v. 17 legas *τοσούτῳ εὐφωνότερα.* Quae deinceps de litteris duplicibus seu compositis praecipiuntur, non minus confusa sunt atque perplexa quam quae Melampus p. 813 sq. (ubi pag. 813, 19 sq. legas: *ἤρξατο τῆς δευτέρας ὑποδιαιρέσεως τῶν συμφώνων!*), Stephanus pag. 814 sq. et Choeroboscus (coll. dict. ad Theodos. Canon. vol. II pag. 540) p. 815 sq. tradiderunt. cf. etiam Steph. ad Dionys. pag. 806, 11 sqq. Definitionem tenuium sive levium litterarum non inveni equidem apud commentatores Dionysii, quales nunc habemus; quid autem sibi velit illa intellegetur coll. Melamp. pag. 809, 15 sqq. 811, 25 sqq. Choerob. (coll. Hoerschelmann. act. soc. philol. Lips. tom. V p. 297 sqq.) pag. 663, 32 sqq.

Quae deinde sequuntur *περὶ συστοιχίας ἀφώνων* vel ut cum Dionysio Halicarnasseo loquar, *περὶ συζυγιῶν ἀφώνων,* contracta sunt e copiosiore Melampodis disputatione pag. 810 sq., ex quo loco correxi Epitomatorem multis hic vitiis scatentem. In brevius etiam contraxit eadem Theodor. Prodr. p. 5, 26 sqq. cf. Priscian. I 26. Haec autem omnia serioris Graecitatis praecepta esse pronuntiationis probavit R. de Raumer in „Gesammelte sprachwissenschaftliche Schriften" p. 102 sqq. cf. E. Bruecke „Grundzüge der Physiologie" p. 87 sqq. cf. etiam Henrichsen „de enuntiatione" p. 62 sq. Mullach: „Grammatik der griech. Vulgärspr." p. 109—142. Preller. in diar. antiquitat. Marburg. tom. VI (1839) p. 125 sq.

Verba autem quae sunt: *Τὰ μὲν γὰρ τῶν γραμμάτων λειοτέρους ἀποτελεῖ φθόγγους — οἱ δὲ ταῖς βραχείαις καιά τινα τῶν εἰρημένων τρόπων περιττεύονιες ἰσχνότεροι καὶ ταπεινότεροι* ad verbum transcripta sunt ex Aristid. Quint. *περὶ μουσικῆς* lib. II p. 88—90 ed. Meibom. Similia docuit iam Dionys. Halic. de comp. verb. c. XIV et in ceteris libris rhetoricis passim. cf. Rhett. Graec. IX pag. 79 W. et Henrichsen de enuntiatione p. 147 sq. coll. Hermog. *περὶ ἰδεῶν* p. 224 W. Demetr. Phaler. *περὶ ἑρμην.* p. 35 Schn. Adde quod totus ab Epitomatore sic exscriptus est, ut neque altero intercedente transsumpsisse neque de suis quidquam addidisse eum appareat, nisi quod verbis: *κἀκ τῆς τούτων συνθέσεως γίνονται πόδες* adiecit haec: *ὡς ἐν τοῖς* (sic enim scribendum.) *ἑξῆς ἔσται δῆλον,* ex quibus verbis Titzius patere voluit, „auctorem hoc opere de pedibus quoque et

metris agere voluisse“ p. 23 not. 3. cf. praefat. pag. XVIII sqq. et p. 43 not. 1, ubi parum sibi constans eum de metris tractatum, quem ipse pag. 43 sqq. „Moschopuli“ sui edidit, vel ex alio(!) libro Epitomae vel ex alio Moschopuli opere desumptum esse contendit. Mecum si facies, hanc gravem difficultatem ita solves, ut verba illa: *ὡς ἐν τοῖς ἑξῆς ἔσται δῆλον* nihil aliud esse ducas nisi additamentum librarii eius qui codices et Pragensem et Venetum — nam in hoc quoque metricam epitomam eamque post libri alterius finem exstare Studemundus testatur — conscripsit. Aliter quomodo res expedienda sit, dum tertius epitomae liber e bibliothecarum latebris protractus sit, non perspicio.

Postquam igitur de potestate litterarum, ut cum Prisciano vertam „*δύναμις*“ vocabulum, egit — de nominatione enim et de figuris supervacaneum erat tractare — transit ad ordinem consonantium describendum, de quo quae posuit praecepta ex Timothei Gazae libello qui inscribitur: *κανόνες καθολικοὶ περὶ συντάξεως* excerpsisse videtur. Edidit illum primus Cramerus in An. Graec. Paris. vol. IV p. 239 sqq., unde totum inter Herodianea recepit Lentzius tom. II p. 293 sqq. et 407 sq. cf. praefat. pag. XCVI sqq., ubi vir doctissimus opusculum illud Timothei Gazae ex Herodiani libello *περὶ συντάξεως τῶν στοιχείων* (qui tamen minime idem esse potest atque *περὶ τάξεως, τῶν κδ΄ στοιχείων* id quod sibi persuasit Lentzius pag. XCVI) fluxisse studet demonstrare. Similia autem Apollonius quoque praebet de constr. IV 3 pag. 313, 10 sqq. (coll. Lehrsii q. e. p. 39 et O. Schneider. in diar. antiquitat. Marburg. 1839 p. 646) cf. Apollon. l. s. I 27 p. 58. A. Hart. l. c. pag. 15 sq. Sine dubio etiam in copiosioribus olim scholiis Dionysii Thracis talia duce Herodianea vel Apolloniana doctrina tractata fuerunt, quorum vestigia relicta sunt pag. 789 sq. et 818. cf. Theodor. Prodr. p. 5 sq. His pleniora aliquando e tenebris fore ut protrahantur iam nunc licet sperare: quo facto fortasse haec sententia retractanda erit: nunc coniecturam confidenter propono. Ceterum quod hunc locum Lentzius neglexit, in eo scilicet positum est, quod „Moschopulus“ ieiune et aride ut omnia sic haec quoque conscribillavit.

Quae hucusque de pronuntiatione mutarum litterarum earumque sono atque de ordine consonantium disputata vel potius undique decerpta sunt, ea quasi inculcata sunt verborum continuitati. Nam quae sequuntur apta videntur magis eis quae leguntur

p. 7 quam quae habes p. 11. Est autem definitio liquidarum vel immutabilium litterarum Dionysii p. 632, a quo sua petiverunt etiam Choerob. dict. ad Theodos. Can. vol. I pag. 381, 27 sqq. Moschopul. in cod. Schellershem. post Sturzii Et. Gud. p. 679 sq. et in cod. Gud. 112 ap. Ritschel. praefat. in Theodul. p. CXXX. Theodor. Prodr. p. 38, 24 sqq. Vocalium autem immutabilium definitionem Epitomator ut Moschopul. apud Sturz. l. s. p. 679 et ap. Ritschel. l. c. p. CXXIX a Melampode schol. in Dionys. p. 803 sq. mutuati sunt, in qua re illud tamen dignum notatu est, quod Epitoma eadem atque Moschopulus praebet exempla, quibus praeceptum a se propositum illustret.

Quae res videndum erit num ad aetatem Epitomae huius accuratius definiendam valeat. Ac me quidem iudice nullius est momenti. An Moschopulum putas sua sponte pro eis exemplis, quae apud Melampoda repperit, alia posuisse? Nonne aequo iure Moschopulum ex hac de qua agimus Epitoma atque huius auctorem ex illius erotematis sua transsumpsisse contendi poterit? idque eo magis fieri potest, cum ne in Gudiano quidem codice et Schellershemio exempla congruant. Ex hoc igitur loco nihil efficitur. De ceteris locis qui sententiae nostrae aliquem veri speciem adferre possint videri hac in qua nunc versamur quaestione absoluta agemus. De mutabilibus consonantibus et vocalibus nunc cf. Melamp. ad Dionys. p. 804, ubi definitio intercidisse videtur, utrum librarii an Epitomatoris culpa incertum, et Moschop. ll. ss., ubi fortasse illud notandum videtur, quod Epitomator brevitatis fere studiosus, e quattuordecim illis verbis quae ab $\bar{\varepsilon}$ incipientia in praeterito imperfecto pro $\bar{\eta}$ assumunt $\bar{\varepsilon\iota}$ diphthongum unum tantum affert.

§ 13.

Transeo ad doctrinam de diphthongis, quam nostrum a Melampode schol. ad Dionys. p. 803, 5—15 et 804, 7 sqq. petiisse jam Hartius l. l. pag. 16 sq. intellexit. Melampus autem Choerobosco (dict. ad Theodos. can. vol. I. p. 402 sq. Gaisf. = BAG. vol. III p. 1214) sua debet, quem Apollonii niti auctoritate probabiliter conicias. Idem Hartius l. c. Melampodis scholion quod habes pag. 804, 7 sqq., lacunosum esse perspexit; attamen locum non ex ipso Choerobosco sed ex hac Epitoma, cuius auctor quisquis fuit,

non ipsum Choeroboscum ante oculos habuit, sed scholion illud Melampodis, sic fere restituere malim:

Πάλιν τῶν διφθόγγων αἱ μέν εἰσι κατ᾽ ἐπικράτειαν, ὡς ἐπὶ τῆς ει διφθόγγου καὶ τῆς η καὶ τῆς ῳ καὶ τῆς α, τῆς ἐχούσης τὸ ι ἀνεκφώνητον· ἐπὶ τούτων <γὰρ> ὁ φθόγγος τοῦ ἑνὸς φωνήεντος ἐπικρατεῖ καὶ αὐτὸς ἐξακούεται, οἷον Νεῖλος, τῇ Ἑλένῃ, τῷ καλῷ, τῇ Μηδείᾳ καὶ ὁ Θρᾷξ (sic enim scribendum coll. Lobeckii paralipp. gr. gr. vol. I pag. 99. II pag. 541. Papii lex. nom. propr. Graec. I. p. 515. ed. Benseler. La Roche diar. doct. gymn. Austr. 1865 p. 124). *αἱ δὲ κατὰ κρᾶσίν εἰσιν <ὡς ἐπὶ τῆς ου διφθόγγου καὶ τῆς αυ καὶ τῆς ευ· ἅμφω γὰρ συγκιρνώμενα μίαν ἀποτελεῖ φωνήν, ὡς οὗτος, αὐτός, εὖχον. αἱ δὲ κατὰ διέξοδόν εἰσιν ὡς ἐπὶ τῆς ηυ διφθόγγου καὶ τῆς ωυ καὶ τῆς υι· ἐπὶ τούτων γὰρ χωρὶς ἀκούεται ὁ φθόγγος τοῦ ἑνὸς φωνήεντος, ηὗλουν ὠυτός υἱός. Ἡ δὲ αι δίφθογγος ἡ ἐκφωνοῦσα τὸ ι καὶ ἡ οι οὔτε κατ᾽ ἐπικράτειάν εἰσιν οὔτε κατὰ κρᾶσιν> οὔτε κατὰ διέξοδον κ. τ. λ.*, in quo illud quoque memoratu dignum est, a Choeroboscum omitti prorsus et *ει* diphthongum et exemplum (*Νείλῳ* vel *Νεῖλος*), ita ut difficile sit, haec ei inferre. Cum Choeroboscum autem consentit prorsus codex Venetus, non consentit Melampus p. 804, 8. cf. de hac re Titzii praefat. pag. XIII sq. et cens. Gott. l. c. p. 803. coll. Nigid. Fig. ap. Gell. N. A. XIX 4. cf. etiam Henrichsen, „de enuntiatione“ etc. p. 76 sqq. 101 sqq., coll. Blochii libell. schol. Haun. 1829—31 pag. 15 sqq. Henrichsen p. 103 sqq. Jahnii annal. philol. X p. 101 sqq. cf. etiam Henrichsen p. 134, qui putavit, et *ει* diphthongum et *α* apud Choeroboscum et apud Theodorum Prodromum (p. 34 cf. Aristid. Quint. p. 44 M) librarii culpa omissas esse. cf. Bloch. l. c. p. 139 sqq. G. Curt. in diar. gymn. doct. Austr. 1852 p. 1 sqq., cf. „Erläuterungen“ etc. p. 21 sqq. F. Blass „De enunt. graec.“ p. 18 et 21 sqq. coll. Buttm. gr. gr. p. 23. Mehlhorn. gr. gr. p. 19 alios.

§ 14.

De capite quarto, quo de syllaba disputatur, brevis esse possum ideo quod quae de ea docet auctor fere omnia ab ipso petiit Dionysio. cf. A. Hart. l. l. pag. 17. Definitio tamen syllabae cum a Dionysiana prorsus discrepet, concinit cum ea, quam praebet Pseudo-Draco p. 4, 18, nisi quod hic pro *συνέλευσις* Dionysianum

exhibet *συλλῆψις*, pariter atque Theodor. Prodr. p. 39, 18. Lasc. epitom. p. 6 (coll. Lehrsii Anall. gramm. pag. 412 sqq). Theod. Gaz. III 269 ed. Basil. C. E. A. Schmidtii „Beitr." p. 127.

Ex his omnibus autem non illud consequi volo, Byzantinorum hominum aetate hanc syllabae definitionem loco eius quam habes ap. Dionys. § 8 positam fuisse sed illud modo, grammaticastros illos Dionysianae definitioni syllabae, de qua ne recentioribus quidem grammaticis (cf. C. E. A. Schmidtii Beitr. p. 128 et Hoerschelm. „de Dionysii Thracis interpretibus veteribus p. 24) convenit, aliam eamque simpliciorem seu ab ipsis excogitatam seu ab antiquioribus traditam substituisse. Haec monui propter Maur. Schmidtium, qui ubicunque paullo diversae a Dionysii arte vel definitiones vel explicationes apud Byzantinos artium scriptores occurrunt, has ita illos in exemplaribus suis Dionysii legisse sibi persuasit Philol. vol. VIII. p. 235. Quae sequuntur de finibus ut ita dicam atque ambitu syllabae ea A. Hartius inepta et supervacanea atque putida Byzantinorum diligentia excogitata esse iudicavit p. 17. Secus fortasse sensisset homo doctus, si quae Priscianus lib. II § 1 sq. de eadem re sine dubio duce Apollonio Dyscolo (de qua re alias agam accurate) tradidit meminisset. Atque quoniam Dyscolum et de inventione litterarum et de ordinatione tractasse constat (cf. de constr. I 3 pag. 10, 10) non est cur etiam de his minutiis tractasse eum negemus. Cuius praecepta si temporum decursu a Byzantinis potissimum magistellis ut aucta ita depravata esse contendas, equidem non repugnaverim. Ceterum ex hac Epitomae parte supplenda sunt ea, quae ex eodem atque Epitomator fonte hausit Moschopulus post Sturzii Et. Gud. p. 682. Quae de syllabae definitione dixi ea in eandem partem de divisione syllabarum valere volo; nam de hac quoque similia Epitomae praeceptis fuisse in scholis Byzantinorum tradita apparet e Pseudo-Drac. p. 4, 20 sq. et Moschopul. ap. Sturz. p. 682. Definitiones autem longae et brevis syllabae nihil aliud continent nisi quae § 9 et § 10 Dionysianis explicantur eaque auctor Epitomae ipse postea excerpsit. Sed ne has quidem de suis deprompsisse, sed iam apud alios invenisse videtur: cf. Pseudo-Draco 4, 22 sqq. cod. Schellershem. p. 682. Atque quam socordes in hac re fuerint Byzantini illi grammaticastri inde colligas quod proxima quaeque arripientes meliora neglexerunt. Hephaestio enim qui Dionysii definitiones parum sufficere intellexit multo accuratius et longam

et brevem syllabam definivit p. 3 W, quam rem ad artis Dionysianae aetatem recte definiendam plurimum valere nuper suo iure monuit G. Hoerschelmann: „De Dionysii Thracis interprett. vett.“ Lips. 1874. epimetr. p. 77sqq., cui non erat quod obloqueretur Eduardus Hiller in censura huius libelli ann. philol. 1876 p. 49 not. 1. Item Epitomator in variis syllabae longae et communis generibus describendis Dionysii §§ 9 et 11 transsumpsisse satis habuit, quamvis meliora illis Hephaestio atque etiam commentatores Dionysii docuissent. Hinc refelluntur ea quae Hoerschelmannus p. 81 et iam ante eum alii de Byzantinis sumpserunt argumenta. Communis tamen syllabae definitionem aliunde mutuatus est noster: cf. Ps.-Draco. p. 5, 9. Heph. p. 5 W. Schol. Dionys. p. 825, 30sq. Schol. Heph. p. 114sq.

§ 15.

Capite quinto de dictione et oratione agit Epitomator ordinem secutus Dionysii, cuius §§ 12 et 13 ideo in unam videtur coniunxisse, quod in exemplari suo eas coniunctas invenerat, id quod saepius factum esse exemplum docet codicis Hamburgensis, in quo teste Hoerschelmanno l. s. p. 16 §§ 12 et 13 non magis inter se disiunctae sunt, quam §§ 3 et 4. Ex apographo autem Holstenii qualis archetypus eius codex fuerit concludere licet; in quo num Epitomator etiam ordinem inscriptionis huius capitis: *περὶ λόγου καὶ λέξεως* invenerit vehementer dubitarim, quamquam concedendum est, neque inaudita fuisse talia Byzantinis et ansam dare potuisse eum qui insequitur de dictionum affectionibus tractatum. Sed quoniam argumentum capitis inversum esse ordinem arguit, transponenda esse duxi verba: *περὶ λόγου καὶ λέξεως* sic: *περὶ λέξεως καὶ λόγου*. Atque definitiones quidem „dictionis“ et „orationis“ a Dionysio esse petitas facile apparet. Quae adiectae sunt diversae *λόγος* vocabuli significationes, earum quis primus auctor fuerit, ut nescio equidem sic vulgo usitatas fuisse atque notas eas Byzantinorum aetate inde colligas, quod eaedem eodem fere ordine saepissime inveniuntur, ut apud Pseudo-Choerob. epim. in Psalt. p. 145. Moschopul. ap. Ritschel. praefat. in Thom. Mag. p. CXXXI. *περὶ σχεδῶν* p. 60sq. ed. Vindob. et ap. Ritschel. l. c. pag. CXXXIIIsq. ap. Bachmann. An. Graec. II pag. 424sq. Et. Gud. p. 372, 40sqq. alibi — nam omnes enumerari nihil attinet. E fonte prorsus diverso fluxerunt ea,

quae praebent Stephanus schol. ad Dionys. Thr. p. 838, 22—839, 26 et AO. Crameri vol. IV, p. 327 sq. cf. Ritschelii praefat. in Theodul. p. CXXXIV.

§ 16.

Iam sequitur eiusdem capitis altera pars, quam in caussa fuisse cur toti capiti inscriberetur *περὶ λόγου καὶ λέξεως* iam supra suspicati sumus. Id enim in hanc de qua nunc agimus partem optime quadrat. Est sane totus hic locus tenuis atque horridus; at tamen quantum momenti veteres grammatici omnes, et in his ipsi celeberrimi, et in veriloquio verborum constituendo et in formis dialectorum linguae Graecae explicandis ei tribuerint, cum inter omnes constet, haud supervacaneum iudico etiam de hac re breviter praefari. *Πάθος* igitur, quem metaplasmum grammatici Latini vocare solent, Donati verbis ut utar, „est transformatio quaedam recti solutique sermonis in alteram speciem metri ornatusve caussa“ (grammat. Lat. vol. IV p. 395 K) vel ut clarius distinctiusque loquar, omne contra leges analogiae in formandis declinandisque vocibus peccatum, quod tamen notionem earum aut nihil aut paullulum immutat deflectitve. (cf. Lentzii praefat. in Herodian. p. XC). In hanc rem iam antiquitus Graecos (sophistas?) inquisivisse testis est locupletissimus Plato, qui cum aliis locis tum Cratyl. pag. 432 A de hac re egit his verbis: *Ἐάν τι ἀφέλωμεν ἢ προσθῶμεν ἢ μεταθῶμέν τι, γέγραπται μὲν ἡμῖν τὸ ὄνομα, οὐ μέντοι ὀρθῶς* (i. q. Lentzius exposuit praefat. in Herodian. p. LXXXVI), *ἀλλ' εὐθὺς ἕτερόν ἐστιν, ἐάν τι τούτων πάθῃ.* Neque postea haec doctrina iacuit neglecta; cummaxime autem grammatici Alexandrini in hanc rem studium suum contulerunt, etsi per se credibile est et testium silentio confirmatur, Zenodotos, Aristophanes, Aristarchos his quisquiliis se abstinuisse. Unde facile fieri potuit, ut ne in Dionysiana quidem arte huic rei ullus locus daretur. Posteriore autem aetate Didymi, Tryphones, Apollonii (cf. de adv. 567, 15 sq. 568, 8 sq., cuius operis Stephanus Byzantius s. *Καρία ἡ χώρα* pag. 358 B. librum quintum citavit. cf. Et. Or. pag. 185, 30 sq. ed. Sturz. coll. p. 2, 9 sqq.) Herodiani Ori alii cum hanc materiem vel maxime in deliciis haberent grandia de ea volumina conscripsere; quorum doctrinam Byzantini homines ita in suum usum converterunt, ut in lexici formam eorum praecepta redigerent,

multis, ut solebant fere, inutilibus additis. Inde factum est, ut in Byzantinorum de his commentariis cum veris ac genuinis veterum grammaticorum fragmentis nova eaque falsa additamenta miscerentur, inter quae nobis diligenter est distinguendum. Atque de Didymi quidem et Tryphonis opera in hac re consumpta vix certi quidquam statuere licet: cf. Maur. Schmidt. Didym. fragm. p. 343sqq. A. de Velsen: Tryph. fragm. p. 96sqq. Quamquam equidem persuasum habeo, quattuordecim illas vel quindecim vocum affectiones, quae inde a Probo ad Isidorum usque ad taedium usque recoquuntur a grammaticis Latinis (cf. Pseudo-Prob. p. 262sqq. Donat. p. 395sqq. Charis. p. 277sqq. Diomed. p. 440sq. Pomp. Comment. pag. 283sq. 296sqq. Consent. p. 386sqq. K. Isidor. Hisp. 134p. 50sqq. L. cf. Thurot. in „Manuscrits et extraits de la bibl. imp.“ tom. XXII 2 p. 463sq.) — praeter unum Priscianum ab altero eorum fuisse desumptas. Vel hinc efficitur, libellum qui sub Tryphonis Alexandrini nomine a Blomfieldio e cod. Cantabrig. 216 editus est in Mus. Cantabrig. vol. I p. 33sqq. multa quidem continere, quae ad Tryphonem sint referenda, sed quibus multae Byzantinorum nugae falso additae sint: id quod tenendum fuit Hinrichsio „De Homericae elocutionis vestigiis Aeolicis“ p. 4. cf. Velsen. Tryph. p. 97. Multo certius de Apollonio Dyscolo iudicare licet, qui et ipse veri Tryphonis fragmenta servavit. Certum autem iudicium de Apollonio cum nemo adhuc fecerit, ego hic afferam, quae ipse de hac re ex amplioribus Apollonii fragmentis enotavi. Apollonius igitur, aeque atque Epitomator, *πλεονασμόν* et *ἔνδειαν* saepius inter se opponit, veluti de constr. I 2 p. 4sq., ubi *ἐναντία πάθη* ea ea vocat: cf. etiam p. 133, 14sqq. 25. p. 134, 2sqq. p. 142sq. 159, 16sqq. 168, 21. de adv. p. 562, 9 et 22sqq. — nam quae de constr. p. 268 leguntur: *τὸ πλεονάζειν κατὰ τὸ ἐλλεῖπον* ne ego quidem intellego, fortasse *τὸ πλεονάζειν κατὰ τὸ πλέον* legendum coll. Choerob. in schol. Dionys. p. 972, 10sqq. Cram. An. Ox. IV 424, 14 fol. 169. Apollon. de coni. p. 520sq. inprimis p. 520, 20sq. Saepius adeo quam *ἐνδείας* nomine et *ἐνδεεῖν* infinitivo (cf. de adv. 545, 5. de coni. 497, 500, 15) utitur *ἐλλείψεως* et *ἐλλείπειν* vel *λείπειν* vocabulis, rarius pro *πλεονασμός* (seu *πλεόνασμα*) (cf. de pron. pag. 308A) et *πλεονάζειν* usurpat *παρολκή* et *παρέλκειν* vel *παρέλκεσθαι*. Sic saepissime sibi contraria sunt *πλεονασμός* et *ἔλλειψις*, *πλεονάζειν*

et *ἐλλείπειν* vel *λείπειν*: cf. de constr. p. 5. p. 111. 112, 4sq. 120, 8. 309. de pron. p. 308A. 331sq. 332B. de coni. 525. de adv. 557, 19sqq. 596. de pron. 261B aliosque locos permultos. Cum autem Dyscolus haec tanquam generalia nomina *πλεονασμοῦ* et *ἐνδείας* vel *ἐλλείψεως* saepissime pro singulis cuiusque speciei affectionum nominibus posuerit facile fieri potuit, ut posteriores grammatici omnes vocum affectiones seu passiones in pleonasmum et ellipsin dividerent. Quod quando et a quo primo factum sit, nescimus. Illud tamen moneo, iam a Probo personato p. 262sq. Donat. p. 395sqq. Charis. p. 277sqq. Diomed. pag. 440sq ceterisque grammaticis Latinis omnibus, qui exceptis paucis mirum quantum inter se consentiunt, inter metaplasmum *πλεονασμοῦ* et metaplasmum *ἐνδείας* discerni, quin etiam a Pompeio p. 296sq. subdivisionem quoque illam *κατὰ τὸ ποσόν* et *κατὰ τὸ ποιόν* commemorari ita, ut hanc distinctionem a veteribus grammaticis Graecis mutuatos esse eos appareat. Ab Apollonio illis nominibus *πλεονασμοῦ* et *ἐνδείας* seu *ἐλλείψεως* una species *κατὰ τὸ ποσόν* significatur. Ut exempla afferam, *πλεονασμός* pro *προσθέσεως* nomine usurpatur de pron. pag. 308B (coll. Skrzeczka libell. schol. Regimont. 1847 p. 11 et 12. Lehrsii q. e. p. 127sqq.) 330sq. 333B et C. 335A (coll. Ric. Schneider. in Mus. Rhen. vol. XXIV. p. 591). 360A. 366A. 367. 398B. de coni. 522. 525 (coll. R. Schneider. in Symb. philol. Bonn. p. 475 et libell. schol. Colon. 1867 pag. 21); cf. etiam de adv. 557, 19sqq., ubi opponitur *ἀφαίρεσις*; cf. 568; itaque de pron. pag. 358C pro *κατ' ἀρχὴν περὶ τοῦ πλεονάσαντος ε̄* legas: *περὶ τοῦ κατ' ἀρχὴν πλεονάσαντος ε̄* cf. 396B, de quo loco unus vere iudicavit R. Schneider in Symb. philol. Bonn. pag. 474sq. cf. de adv. 563, 10. Item *πλεονασμός* de variis affectionum generibus dicitur, quae in mediis vocabulis fiunt. Veluti pro *παρένθεσις* de constr. p. 133, 3. de pron. pag. 263A. 308A. de adv. 558, 15, ubi legas *πλεονασμῷ τοῦ ῡ καὶ μεταθέσει τοῦ ō εἰς τὸ ε̄!* cf. 559, 15 coll. Herodian. ad Hom. B 73. J. 134. Cram. AO. I 192. E. M. p. 440 et Lehrsii q. e. 44. cf. etiam de adv. 562, 9. Pro eo quod Epitomator vocat *ἐπέκτασις* (*παρέκτασιν* vocat Lobeckius pathol. I 403. coll. Greg. Cor. p. 454 *πλεονασμός* dicitur de pron. pag. 402B. de adv. pag. 554, 22 al.; idem pro *παρέμπτωσις* de adv. 549, 28. 562, 22. de constr. p. 4, 23. Nec tamen idem illud nomen de *διπλασιασμός* (de constr. 4, 23) usurpasse

videtur Apollonius; usus autem est pro eo, quem Epitomator vocat *προσχηματισμόν* (de quo cf. Lehrsii not. ad Herodian. pag. 94. Lobeckii patholog. elem. II. p. 143 sq. et quae infra docebo) veluti de coni. pag. 524, 2 sqq. (coll. Lehrsii q. e. pag. 64). 493. de pron. pag. 323 sq.

Simili modo *ἔνδεια* et *ἔλλειψις* de iis generibus dicuntur, quae his quae modo commemoravi contraria sunt. Itaque *ἔνδεια* ponitur pro *ἀφαίρεσις* de constr. pag. 5, 10 sqq. cf. pag. 111, 20. 112, 4 sq. 168, 21 sqq. de pron. pag. 331 sq. 332 B. de coni. pag. 525 init. de adv. 546, 19 sq. alibi; de ea quae in medio vocabulo fit affectione pro *ἔκθλιψις* ponitur *ἔνδεια* de constr. pag. 5, 10 sqq.; pro *ἔλλειψις* de adv. p. 555, 13; pro *παράλειψις* non inveni usurpatum; de fine vocabuli cf. de adv. pag. 591, 24. 549, 20. 562, 25 etc. etc. Vel ex his apparere exemplis puto illud apud Apollonium *πλεονασμός* et *πλεονάζειν*, *ἔνδεια* et *ἔλλειψις* ut pro quovis genere *κατὰ τὸ ποσόν* potuerint usurpari, ita hunc ipsum usum ansam dedisse posterioribus grammaticis, dictionum passiones *ἀπὸ πλεονασμοῦ* et *ἀπ' ἐνδείας* dividendi. Praeterea unum illud moneo pro *ἐλλείψεως* et *πλεονασμοῦ* nominibus et pro *πλεονάζειν* et *ἐλλείπειν* Apollonio alia quoque vocabula in usu esse; veluti illud expressit etiam his vocabulis: *ἀποβολή* et *ἀποβάλλειν*, quae et de prima et de media et de extrema voce dicuntur; similiter *ὑποστολή*, *ὑποστέλλεσθαι*, *ὑφαίρεσις*, *ὕφεσις*, *αἴρειν*, *παραιρεῖσθαι* similia: eodem modo de contrario genere: *προσνέμειν προσβάλλειν*, *προσφέρειν*, *ἐπιφέρειν* similia leguntur. Nunc ad singula cuiusque generis nomina explicanda transeamus.

Ac primum quidem, ut par est, de prosthesi et aphaeresi agam, unde etiam Lobeckius pathologiam suam incepit. Priusquam de usu horum nominum Apolloniano disseram, monendum videtur, apud Apollonium utrum *πρόσθεσις* an *πρόθεσις* scribendum sit, non posse dubitari, quippe qui constanter scripserit *πρόσθεσις*. Hoc autem persuasum habeo et apud Graecos grammaticos et apud Latinos si qua occurrat varietas lectionis in hac voce, quin *πρόσθεσις* restituendum sit non posse dubitari. Hoc tenendum fuit Keilio viro ceteroquin diligentissimo. cf. Lobeckii patholog. I. pag. 13.

Prosthesis igitur et aphaeresis ab Apollonio inter se opponuntur, sed non de initio tantum verum etiam de medio et fine vocabu-

lorum usurpari solent. Opponuntur inter se e. g. de constr. p. 129 sq. 241. de coni. 525. de adv. 547. 567. 568. 569, 27 sqq. 578, 13. Plerumque tamen de initio vocum dicuntur, veluti de constr. p. 130, 10. 12. 15 sqq. cf. pag. 241. de pron. p. 330 A. (cf. 329 C) 332 A. 334 B et C. 335 A. 360 A. de coni. 499. 502. 522. 523. 524. 525. 547. 557. 561. aliisque locis permultis. Sed ut iam supra monui, *πρόσθεσις* etiam de fine vocabulorum dicitur: cf. de pron. pag. 335 C. 356 B, ubi legas *τῇ τοῦ ῡ προσθέσει*. cf. p. 370. 371. 398 C. de adv. 555, 20. 572, 27. 578, 13 sq., ubi codicis lectio *ὑφαίρεσις* retinenda est. cf. 589, 20. 26. 590, 10. 33. 591, 9; rarius de medio vocabulo, veluti de adv. p. 566, 31. Similem in modum *ἀφαίρεσις* apud Apollonium latius patet, ita tamen, ut in media et extrema voce magis placuerit *ὕφεσις* vel *ὑφαίρεσις*.

Venio ad anadiplosin et arsin, quae quoniam rarius apud Dyscolum commemorantur brevior esse possum. Ac de reduplicatione verborum Apollonius pariter atque de singulis litteris reduplicatis *διπλασιασμοῦ* voce utitur: cf. de constr. p. 237. 323. de pron. 339 B. de constr. p. 4, 12. de adv. 565, 17.

Diplasiasmi autem nomini *ἄρσις* ubi respondeat, nullum locum novi; neque magis usquam apud Apollonium invenitur *παράληψις*. Immo iam supra dixi *αἴρειν* apud Dyscolum latiorem notionem continere; itaque de initio vocabulorum quoque usurpatur: de pron. 366 A. et de fine: 384 A, ut de medio vocabulo *παραιρεῖσθαι*: de pron. pag. 344 B.

Ἔκτασις autem Apollonio cum inprimis sit productio ancipitum vocalium: *ᾱ, ῑ, ῡ*, nonnunquam etiam de brevibus vocalibus productis dictur; veluti de ancipitum vocalium productione: de coni. pag. 522. 526. de adv. 566, 16. 569, 7. 25 sq. 570, 15 (coll. Schoem. op. ac. IV 258) 576, 6. 8 sq. 572, 16. 577, 24 sq. 608, 4. 600, 21 sqq. 612, 4. de vocalibus brevibus: de adv. 618, 31. 623, 1; de eadem re *ἐπέκτασις* positum est: 588, 1. 607, 20 sq. 592, 16 sq. cf. Lehrsii notam ad Herodian. pag. 92 sq. et Lentzii praefat. pag. XCV. coll. Choerob. dict. ad. Theodos. can. vol. II. pag. 866, 13.

Ἐκτάσει opponitur *συστολή*: de pron. pag. 329 B., quae vox de correptis vocalibus vel natura longis vel ancipitibus usurpatur: cf. de constr. 281, 7. de pron. 379 A. 383 A. 384 B. 385 A. 387 B. 402 B. de coni. pag. 500, 28 (coll. Ric. Schneidero

in libell. scholast. Colon. 1867. p. 16) 519. 568, 33. 569, 9. 25 sq. 571, 12 sq. 577, 31 sq. 588, 29 sq. aliosque locos permultos.

Συγκοπή saepissime quidem usurpavit Apollonius eodem sensu quem Epitomator ei tribuit; nullo vero nisi egregie fallor loco *ἐπέκτασις* ei contraria est: nam pro eo Apollonius aeque atque Herodianus *πλεονασμός* vel aliud latius vocabulum posuit: cf. supra.

De *συναιρέσεως* et *διαιρέσεως* nominum usu Apollonio cum hac Epitoma prorsus convenit: cf. de constr. pag. 238. 362 sq. de pron. 329 A. 371 B. 380 sqq. de adv. 542. 553. 567. 573. 581. 614 al.

Παρενθέσεως nomen apud Apollonium nusquam occurrit, pro quo ei semper *ἐπένθεσις* est in usu: cf. de constr. pag. 159. de pron. 365 B. 374 B. de adv. 558. 559, 28.

De *ἐλλείψεως* nominis usu Apolloniano supra disserui.

Παρέμπτωσις nullo loco ab Apollonio commemoratur; sicubi meminit huius affectionis, *πλεονασμοῦ* vocabulo utitur; hanc ob caussam ne *ἔκθλιψις* quidem et *ἐκθλίβεσθαι* eo sensu invenias usurpata quo Epitomator ea insignivit. *ἐκθλίβεσθαι* enim et *ἔκθλιψις* apud Apollonium unice elisionem litterae vocalis, quae fit in concursu duorum vocabulorum, denotat: cf. de pron. 350 A. 360 A. de coni. 494. 496. 505. 597, 27 sq.

Non magis Apollonius usus est voce *προσχηματισμοῦ*; veteribus enim grammaticis idem fuisse *ἐπέκτασιν* quod recentioribus *προσχηματισμόν* probavit Lehrsius ad Herodian. pag. 94 et Lobeckius patholog. vol. II. pag. 143 sq.

Παραγωγή non plus tribus locis apud Apollonium legi: de constr. p. 100, 9 et 110; cf. de adv. 591, ex quo loco quid intellegi voluerit Apollonius hoc nomine in propatulo est. In huiusmodi autem derivatione et notionem primitivorum vocabulorum et litteras retinendas censuit: cf. etiam de coni. pag. 516. Eadem res ceteris locis omnibus *ἐπεκτάσεως* nomine significatur, veluti $\overline{δε}$ syllaba in *τημόσδε* et similibus de pron. pag. 265 C; *ῐ* quod recentiores grammatici paragogicum sive demonstrativum vocare solent, de pron. pag. 296 A. 298 B. 301 C. 306 A. 336 B. 338 B (coll. Skrzeczka libell. scholast. Regimont. 1847 pag. 7). 367 C. 378 A (coll. Lehrsii q. e. p. 134*** et Skrzeczka l. s. pag. 22). 385 A. de coni. 503. de adv. 617, 5 sqq.; cui affectioni

opponitur *ὑποστολή* de adv. 617, 28 et *ἀποβολή* ibid. v. 29 cf. pag. 600, 23. 30, saepius autem *ἀποκοπή*: cf. de constr. p. 238. de pron. pag. 336 A (coll. Skrzeczka l. s. pag. 12). 372 A. 373 A. de coni. 490. 522. 523. 542. 567. 568. 604. 624, 13 (coll. Lehrsio in Nov. Mus. Rhen. vol. II. pag. 340. Schoem. op. ac. vol. IV. pag. 262). 622, 32. aliosque locos permultos. cf. etiam Choerob. dict. ad Theodos. Can. vol. II pag. 592, qui de eadem re etiam *ἔκτασις* posuit: cf. e. c. dict. vol. II p. 637 sq. Denique tanquam in appendice moneo pro *ἐπεκτάσεως* nomine Apollonium latius quoque patens vocabulum *πλεονασμός* posuisse, velut de pron. 335 sq. Quod autem ad totum hoc genus *κατὰ τὸ ποσόν* pertinet, auctorem Epimerismorum in Cram. AO. I. pag. 130 sq. non novem, sed octo tantum dictionum affectiones novisse cum Lehrsio ad Herodian. p. 94 non dixerim; est enim totus ille locus corruptus et lacunosus.

Transeo ad quaestionem difficillimam, quasnam generis alterius, quod Epitomator non inepte *κατὰ τὸ ποιόν* vocat, affectiones esse voluerit Dyscolus, tractandam. Atque ut statim expromam, quid sentiam, Apollonius prorsus eodem modo atque Epitomator de quo agimus varia synaloephes genera distinxit. Quamquam saepius *συναλοιφῆς* nomen generatim posuit, veluti pro ecthlipsi et crasi: de constr. p. 5, 10 sqq. 335, 6 sqq. de pron. 311 A. de coni. 496. 497, 21; pro ecthlipsi: de constr. p. 140, 20 sq. 335, 6. de pron. 263 A. de adv. 562, 25 sqq.; pro ecthlipsi et synaeresi de adv. 538, 1; de synaeresi de adv. pag. 566, 28 sq., ex quo loco simul apparet, Apollonium nondum cognitum habuisse praeceptum illud, quod Choeroboscus dict. I 157 et auctore eo Porphyrius (coll. A. Hart. in annal. philol. 1872 pag. 268 sqq. et Hoerschelmann. in Ritschelii act. soc. philol. Lips. tom. V p. 297 sqq.) pag. 698 posuerunt; cf. etiam de adv. pag. 585, 20 sqq. (coll. Schoem. op. ac. vol. IV p. 259). de pron. 355 A. 395 B. coll. Lobeckii pathol. vol. II pag. 4. Uno loco *συναλοιφή* id genus affectionum significat, quod sua aetate inprimis esse vocatum *συναλοιφή* narrant grammatici Byzantini: de coni. pag. 495, 11 sqq. Inter ecthlipsin et crasin distinguitur de pron. pag. 360 A.

Hanc doctrinam Apollonius sine dubio in libro *περὶ παθῶν* conscripto pluribus exposuit; ab Apollonio sua sumpsisse videtur Choerob. dict. II p. 846 sq. et ab hoc Porphyrius in BAG. II

p. 697 sq. et Epim. Hom. I. p. 371 sq. cf. etiam J. La Roche in diar. doct. gymn. Austr. 1865. p. 113 sq.

§ 17.

Jam reliquas affectionum species *κατὰ τὸ ποιόν* generis perlustremus. Ac *μετάθεσις* eo sensu, quo apud Epitomatorem, nullo loco apud Dyscolum dicta est; immo vero hic eam passionem *ὑπερβιβασμόν* vocasse videtur: cf. de constr. p. 341. 342. Choerob. dict. I 349, 30. 394, 26. 395, 22. II 567. 624. 625. 631. al. *ὑπέρθεσις* de eadem re occurrit ap. Choerob. I p. 376. *Μετάθεσις* autem apud Apollonium litterae in litteram, seu vocalis in vocalem, seu consonantis in consonantem, seu consonantis in vocalem commutationem denotat: cf. de constr. p. 159. 160. de pron. pag. 324 C (coll. Ahrensii dial. Graec. I 206 not.). 356 B. 365 C. 385 B. 398 C. de coni. 494. 495. 500 = de adv. 545. cf. 547. 554. 555. 558, 15 (ubi legas: *καὶ μεταθέσει*). 567, 5. 578, 8. 581, 32 (ubi legendum: *κατὰ τὰ ἐγγινόμενα πάθη*). Idem nomen usitatissimum est pro eo quod noster usurpavit *μετάληψις*; sed non raro etiam *μετάληψις* et *μεταλαμβάνειν* hoc sensu apud Dyscolum occurrit: veluti de pron. pag. 397 C. 402 C. de adv. 558 sq. 560. 610, 23. 606, 3 alibi; etiam *μεταβάλλειν* et *μεταβολή* in usu est: cf. de pron. pag. 263 C. 355 C. 356 B. 379 C. 395 B. de adv. 562 extr. *μεταπίπτειν* et *μετάπτωσις*: de adv. 558, 2 sq. 578, 9. 585, 18 sq. 602, 2 sqq. *μεθίστασθαι* de coni. 495. *ἀμείβειν τὸ ε̄ εις τὸ α̅* 604, 17 similia. Choerobosco usitatissima est huius rei significatio *τροπή*.

Ἐναλλαγή in Apollonii libris nusquam obtinet *πάθους* nomen aut significationem; *μετατυπώσεως* autem et *ἀντιθέσεως* nomina ne agnovit quidem Dyscolus, ceterum rei ipsius haud ignarus, sed neque *πάθος* nominavit neque illis nominibus denotavit.

Μετασχηματισμοῦ denique nominationem Apollonius formis substantivorum nominum et verborum, quales flexione nascuntur, attribuit, *πάθος* autem huiusmodi omnino non statuit; nam quas vocat affectiones *ἐπέκτασις* et *παραγωγή*, eae non sunt *πάθη*, sed *παραγωγαί* vel *μετασχηματισμοί παρώνυμοι*, cf. de adv. 597. de constr. 203, 7. 341, 9: Vide quae supra dixi de hac re et E. Hilleri quaest. Herod. (Bonn. 1866) pag. 37 sqq.

Haec fere est Apollonii de vocum passionibus doctrina, cui

mirum quantum convenit cum ea, quam exposuit Lentzius praefat. pag. LXXXIII sqq. Herodianea. Horum delectum verborum ne Choeroboscus quidem mutavit.

§ 18.

Quae hucusque disputavi eo sensu dicta velim ut appareat, parum caute iudicasse A. de Velsen Tryph. fr. p. 97: „E Tryphone procul dubio fluxerunt et illa, quae nunc in Moschop. Opusc. p. 27—31. *περὶ παθῶν λέξεων* inscripta leguntur.“ Vix enim ac ne vix quidem cogitari potest Tryphonem plus quam Apollonios Herodianosque in hac re profecisse. Non nego equidem ut de multis aliis sic de hac quoque re dissensionem magnam Apollonium inter et Tryphonem oriri potuisse indeque factum esse, ut iam apud Probum et Donatum *ἀντιθέσεως* et *μεταθέσεως* nomina eodem atque apud auctorem huius de qua agimus Epitomae sensu usurparentur; sed totam hanc quaestionem difficillimam alio loco, ubi de fontibus grammaticorum Latinorum Graecis disseram, tractabo. Quis igitur primus *πάθη λέξεων* hoc ordine atque hoc sensu composuerit, equidem nescio; illud unum certo licet affirmare, quae hic leguntur de vocum passionibus ab eis quae praebet Josephus Rhacendytas in Walzii Rhett. Graec. vol. III p. 565—569 ita differre, ut Josephus sit largior exemplis; proxime ad utrumque accedit Pseudo-Trypho in Mus. Cantabr. vol. I pag. 33 sqq. Ex eodem fonte fluxerunt ea quae Moschopulus docet ap. Bachm. An. Graec. vol. II p. 364 sqq. et post Greg. Cor. Schaeferi pag. 675 sqq. cf. etiam Hart. libell. scholast. Berol. 1871 pag. 19 not. 42. et A. de Velsen Tryph. Fr. pag. 96 sq. C. E. A. Schmidtii „Beitr.“ etc. p. 92 sqq. Bandinii Catal. bibl. Laurent. II. pag. 278.